

“Disce intelligibile, quoniam extra mentem extat.”

Extra mentem, inquit, tuam, quæ est a priore mente participata, in qua sunt vera intelligibilia, extra mentem tuam. Idque intelligere oportet.

Ἔστιν τι νοητόν, ὅχρη σε νοεῖν, νόου ἄνθει.

“Est quoddam intelligibile, quod oportet te intelligere mentis flore.”

Nam si adniteris tota eum mente concipere, nihil efficies.

Εἰ γὰρ ἐπεγκλίνῃ, ὥς ἂν νοῦς, κακεῖνο νοήσῃν ὥς τι νοῶν, οὐ κεῖνον νοήσεις.

Nam si adniteris, tamquam mens, illud intelligere.

Ut quid intelligens, illud non intelliges.

Et rationem reddens, subdit:

Ἔστι γὰρ ἀλκῆς ἀμφιφαοῦς δύναμις Νοεραῖς ἀστράπτουσα τομαῖσι.

Est enim roboris circumquaque fulgentis potentia.

Intellectualibus refulgens sectionibus.

Est inquit secundæ hypostaseos potentia, quæ suæ, et secundæ mentis sectionibus refulget intellectualibus, quas diximus, ita circumquaque lucida, ut eam nequeas perspicere mentis vi, ac intensione.

Οὐ δὴ χρῆ σφοδρότητι νοεῖν τὸ νοητόν ἐκεῖνο ἀλλὰ νόου ταναοῦ ταναῆ φλογί.

Non sane oportet nixu acri intelligere intelligibile illud.

Sed mentis protensæ, protensa flamma.

Non nixu, inquit, virium mentalium. Sed mentis protensæ, protensa flamma, et lumine protenso per res creatas. Namque alibi dixit.

Δυὰς γὰρ παρὰ τῷ δὲ κάθηται, καὶ νοεραῖς ἅς ρσππει τομαῖς.

Καὶ τὸκυβερνᾶν τὰπάντα, καὶ τάπτεινἕκαστον, οὐταχθὲν.

Duitas enim apud eum sedet, et intellectualibus fulget sectionibus.

Et gubernare cuncta, et ordinare, quod non est ordinatum.

Duitas scilicet ab uno producta, quæ cum eo triadem facit. Quæ intellectualibus fulget sectionibus. Quia quæ in ea sunt omnia, sunt distincta, et quæ inde per illius generativam potentiam, secernentur, et ea regit, et in ordinem redigit. Per quæ poteris mentem extendere, et per ea ad eum ascendere, iuxta illud Apostoli.

“Per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.” Intellecta autem sunt per intellectum. Quæ quidem tuæ mentis flamma, omnia mensurat, præterquam intelligibile. Subdit enim.

Ταναῆ φλογί, πάντα μεδτούση πλῆν τὸ νοητόνἐκεῖνο.

Protensa flamma, cuncta metiente, præterquam intelligibile illud.

Χρεὼ δὴ τοῦτο νοῆσαι εἰ γὰρ ἐπεγκλίνῃς

Σὸν νοῦν, κακεῖνο νοήσεις οὐκ ἄκτενῶς.

Oportet sane, hoc intelligere. Nam si inclinaveris.

Tuam mentem, etiam illud intelliges abunde.

Si mentem tuam inclinaveris humiliter neque vi volueris ipsum agnoscere, ipsum quoque intelliges abunde, per res creatas. Nihil enim, ut Hermes vere est philosophatus, aut occultius in sua natura est; aut per res creatas, manifestius. Hæc igitur, in fragmentis tota est Zoroastrica doctrina de intellectu. Quam forte Pythagoras integrius in Assyria edoctus est a Zabtrato, et in Græciam attulit, et clarioribus suis tradidit. Quam forte a iuniore Archyta habuit Plato. Sed latenter eam scriptis suis inservit. Seu potius eius semina, huc et illuc ita iecit, ut vetustiores interpretes sui, vix vel viderent, vel agnoscerent. Donec sub Marco Aurelio philosopho, Iuliani duo, pater ac filius, Chaldæi, Zoroastri oracula, e sua lingua, in Græcam verterunt. Quæ postea in manus venerunt Ammonii Sacci, Alexandriae, ob pauperiem baiuli. A quo sicuti olim Athenis a Socrate statuario, omnis fluxit philosophia divina fluxit quædam, et inaudita sapientia. Per quam, coactus est Divus Augustinus fateri, Platonicos, quos philosophorum nobilissimos sæpe appellat, mutatis pauculis, Christianos fieri posse. Aperuit Ammonius, Alexandriae scholam, eo tempore, quo Clemens Alexandrinus floruit, circa Christi